

GVNTHERVS PRAESVL MAGDENBURGICVS.



Gvnterus ex illustri familia Comitum de Schuuartzenburg natus fuit. is in omnibus uirtutibus & disciplinis educatus in uirū doctum & sapientem euasit. Itaq; cū Albertus præful Magdenburgicus uita fungeretur, is omnium consensu eius loci Archiepiscopus electus fuit. eam eccliam ipse uaria fortuna per quadraginta unum annum administrauit, atque apud omnes Imperij principes in magna authoritate fuit cum Concilia Constantiæ & Basileę celebrarentur. Gessit is bellum cum ducibus Slesuicensibus, Brunsuicensibus, & comitibus de Anhalt, ut suæ ecclesiæ iura tueretur. in eo Gerardus dux Slesuicensis occisus, & Heinricus Brunsuicensis captus. Tandem tamen aliorum principum interuentu bellum hoc diuturnum scepitum fuit. Postea Guntherus mortuus Fredericum comitem de Bichlingen successorem habuit. Fuit hæc ecclesia ab Otone Magno fundata & multis priuilegijs ornata. Episcopatus huic subiecti Merseburgensis, Misnensis, Citzensis, Hauelbergensis, & Brandenburgensis. Eam huius loci Archiepiscopi plurimum auxerunt, atq; in præsentem diem usq; fortiter retinuerunt. eorum catalogus hic est.